DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... AB...

Ferdinandus Truchses Zeyll, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTI XII.

PONTIFICI MAXIMO

FERDINANDUS TRUCHSES ZEYLL

FELICITATEM.

QUEMADMODUM *duplex eſt ratio*, BEATISSIME PATER, *qua ad divinam cognitionem pervenire mens hominis poteſt, vel ea ſcrutando, quæ*

Digitized by Google

ſumma cum ſint ſapientia conſtituta, Deum auctorem probant; vel iis fidem adhibendo, quæ conſtanti Eccleſiæ conſilio tradita nobis divinitus fuerunt: ſic te ſuſpiciendi Sacerdotem Summum, & egregium Principem, imparem non eſſe rationem decebat. Cenſeris enim in ea maximorum Pontificum ſerie, quorum Servator noſter caput eſt, neſcio noſtra magis magna felicitate, quam tua; quare, quæ videntur Tibi e religione eſſe, aut fide, videri etiam Spiritui Sancto edocemur. Et ſane quantum Tibi ſit fidei ſtudium, & religionis, tum ex iis curis, quas in dirigenda, conſervandaque Chriſtiana Re-

pu-

Digitized by Google

publica impendis, tum ex ſollicita pietate illa, qua indictis publicis erga Deum precibus huic tuæ militanti contra acerrimos hoſtes propitiam reddis triumphantem Eccleſiam, plane cognoſcimus. Egregium vero Principem Te tua Roma ſuo jure celebrat, plurimis amplificata ædibus, & maximis, exornata nitore templorum, tua munificentia aucta ubique, & cumulata. Quam munificentiam, quum omnia, & ſingula luculentiſſimè teſtari videantur, nemo in Urbe eſt Civis, aut peregrinus, qui aut magnificentiam Principis non ſuſpiciat, admiretur, & laudet, aut cum omni poſteritate in perpetuis hiſce ac ele-

elegantiſſimis monimentis adæquandam non arbitretur. Has vero tuas laudes nemo eſt, qui non videat, ſed majora ſunt digna Principe, digna Pontifice, quæ moderatio tua in vulgus emanare non ſinit, etiamſi aditus ad Te nulli ſit intercluſus. Tua igitur hac fretus humanitate Orationem, quam de AUGUSTISSIMA TRINITATE *habui, Tibi offero, & conſecro, id benedictione tua mihi præstes, exorans, ut, ſicuti illa ad Te pertinet, ita ego ad Te videar pertinere.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

SI quid unquam eſt, BEATISSIME PATER, in quo de ſanctiſſima, atque optima cogitatione poſſit ſibi humana mens jure gratulari, hoc ſane eſt in fide Auguſtiſſimæ TRINITATIS, quam licèt humana ratio non attigerit, credimus, tametſi ſapientia ſeculi nobis nullo modo perſuaſerit, certo ſcimus; & incomprehenſam, atque ineffabilem humana tamen voce prædicamus. Neque verò ſine optimo divinæ Sapientiæ conſilio quamdam in animis noſtris TRINITATIS imaginem inſculptam fuiſſe putandum eſt, ut, quemadmodum humana mens, una cum ſit, triplici adeo facultate exornatur, ut ſuum referat Auctorem, ſic eo, quo aptiori modo poteſt, intellectu, memoria, & voluntate pro-

Leo PP. ſerm. de Pentec.

Ambroſ. de dignit. condit. human. cap. 1.

Digitized by Google

proxima Deo fieri, & quam ſimillima ſedulo ſtuderet, atque impensè eniteretur. Quod quidem argumentum, etſi locorum anguſtiis, aut temporum minime intercludendum eſſe videatur; hujus tamen diei, loci hujus, atque illius fidei, in qua divina omnes pietate cenſemur, ita eſt peculiare, ut de eo ſilere non liceat, ac illorum linguas, qui cæteroquin minimum ab facundia poſſunt, haud mutas plane eſſe patiatur.

Et primum, ut in tam ſancto, tam ſalutari, atque ſublimi Myſterio noſtra intelligendi vis caſte, integreque verſetur, illud fateamur, neceſſe eſt, alium de Deo ſermonem nobis nullum relictum eſſe, niſi quem Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, aliquando enarravit. Locutus eſt Dominus in Prophetis, locutus eſt noviſſime in Filio, quem conſtituit hæredem Univerſorum, & magiſterio illius vocis edocti, ea enunciamus, quæ cogitatione nunquam eſſemus aſſequuti, niſi ille voce præiret, quid enunciaremus. *Non creditis, quia Ego in Patre, & Pater in Me eſt?* Adeo igitur liberali uſus eſt nobiſcum ſermone divinus Filius, ut quaſi præcognita, & comperta haberemus ea, quæ nobis patefacit, teſtes quodammodo nos divinæ generationis adhibeat, dum ſe a Patre genitum profitetur? Hoc verò eſſe

Hilar. lib. 2. de Trinit.

Ad Heb. 1. 2.

Joan. 14. 10.

Digitized by Google

eſſe Patris in Filio, Filii in Patre, quid aliud eſt? niſi æternus ille Patris, Filiique complexus, ex quibus tanquam ab uno principio Spiritus Sanctus procedit, ut in trina Perſonarum diſtinctione ſolus exiſtat, atque unicus Deus. En altitudinem divinæ Sapientiæ, quantum fas eſt homini intelligere, apertam ſatis, & declaratam; en intellectum eo per fidem adductum; quo nec progredi ſapientia ſeculi, nec ſcientia humana devenire unquam poteſt! Quod ſi quis abs me quærat? Quomodo Pater, qui non præcedit? Quomodo Filius, qui non ſequitur? Quomodo non dat initium, qui generat, qui generatur, principium a generante non ſumit? Is demùm intelligat, ea, quæ temerè inquirit, habere humanam rationem, non habere divinam; ea ſibi vindicare naturam mundi, non accipere naturam Divinitatis. Deus verax eſt: hoc ſatis firmo argumento nititur intellectus, ut obſequio, & fide Auguſtiſſimam TRINITATEM demereatur.

Auguſtinus lib. 2. de Trinit.

Petrus Griſolog. ſerm. 60.

3. ad Rom. 4.

Sed bonus eſt Deus; atque hominis mens prædita eſt voluntate. Hic verò, quoniam ita ab natura comparati ſumus, ut, quod novimus bonum, illud non diligere nequeamus, qualis demum optimus futurus ſit uſus illius facultatis, quis non videt, qui æternum boni-

Marc. 10. cap. 18.

tatis

Auguſtinus ſer. 11. de verb. Dom. tatis fontem intueatur? Et ſanè, ſi eorum, quæ extra ſe ſingulæ Perſonæ operantur, inſeparabilis eſt totius operatio TRINITATIS, memoriam temporum univerſam recolamus; atque ubi ab Perſonis ſingulis plurimis nos, & maximis beneficiis comperiamus ſemper, & ubique donatos, Sanctæ, atque Individuæ TRINITATI profecto hæc, quæ accepimus, omnia referenda eſſe ſentiemus. *Pſal. 35.* Quod ſi inexhauſtus eſt ille fons, unde egreſſi ſumus; quò revertimur, ut voluptatis torrente potemur; quam præſtare rem voluntas hominis poteſt, vel beneficentiſſimæ gratiorem TRINITATI, vel pro ſuo erga illam obſequio digniorem, niſi ut ſe ſe divinæ attemperet voluntati, & quemadmodum cæleſtis Pater perfectus eſt, ita fieri perfecta, quemadmodum Filius fecit, facere ita contendat, & ad illius exemplum planè ſe, penituſque componat? *Matth. 5. 48.* Neque eſt, cur ab conſilii difficultate deterreatur; nam Spiritus datus eſt nobis, qui veritatem docere omnem, illuſtrare hebetes, ſuppetere vires infirmis, conſilio adeſſe, manere nobiscum, & voluntatem etiam ad ea præſtanda, quæ optima factu ſunt, excitare pro ſua erga nos charitate non dedignatur.

Sed jam de intellectu ſatis, ſatis de voluntate, quatenus in excolendo divino Myſte-

ſte-

Digitized by Google